



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quarè tertia persona in diuinis dicatur Spiritussanctus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

1. *Quare tertia persona in diuinis dicatur Spiritus sanctus.*
2. *Quomodo Spiritus sanctus sanctificet homines.*
3. *Quid faciat in sanctificatis hominibus quos inhabitat.*

I.

**P**R Imò credere debemus omnes, q̄ Spiritus sanctus Deus est verus, æqualis patri & filio in natura, gloria & maiestate: nam Deus replet omnia, & quoniã Spiritus S. replere dicitur omnia, ergo Deus est. Sic inquit Dauid Psal. 138. Quò ibo à Spiritu tuo &c? si ascendero in cœlũ &c. Et Christus iubet baptizari in nomine patris & filij & Spiritus sancti, Mat. vlt. credere igitur in Spiritum sanctũ, est credere ipsum verum esse Deum. Dicitur autem Spiritus sanctus ab officio, quia ipse omne quod sanctum est, & sanctum esse debet, sanctificat: ideò vocat eum Apostolus Rom. 1. Spiritum sanctificationis: homo enim ex viribus suis non potest esse sanctus: est enim omnis homo mendax, Deus autem verax est, Roma. 3. & 1 Corinthi. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus, id est, naturalis homo vel natura sine gratia Spiritus sancti, non percipit ea ex se & suis viribus non habet, sed oportet vt detur ei desuper et viribus igitur nostris atq; operibus nõ possumus attingere sanctitatem, sed sanctitas est donum Dei, quo Spiritus sanctus Deus ornauit credentem, sicuti pædagogus scientia ornat discipulum. Ideò sicut necessarius est Deus pater homini, quoad creationem: filius Dei, quo ad redemptionem: sic est nobis necessarius Spiritus sanctus ad nostram salutem obtinendam, quòd



quod illam nemo accipit sine adiutorio Spiritus sancti: ideo à nobis maximè sicut Deus colendus est. Nā tametsi pater nos creasset, filius redemisset & liberasset à peccato, morte & inferno: nos autē hoc ignoraremus, vel non crederemus: quid omnia hæc prodesse sent? Si ergo hæc debemus credere, quomodo sumus creati & redempti per Christū, oportet ut doceamur utiq; audiamus, ut detur ea gratia quæ hoc credere possimus, ut sic fructū redemptionis Christi accipere valeamus. Natura nostra hæc nō potest capere, quomodo creati simus atq; redēpti: opus est igitur Spiritu S. qui donat fidem, & regenerat in Baptismo, & nos habiles facit & capaces beneficij Christi. Ut igitur sciamus quæ à Christo nobis donata & impetrata sunt, Spiritus sanctus docet intus & foris per Euangelium &c.

Secundò, modus quo nos sanctificat Spiritus sanctus, sic habetur: Primò prædicationē ordinat verbi Dei, quo denūciantur beneficia Christi. nā sic in die Pentecostes datus est Apostolis in linguis igneis, ubi primò dedit sapientiā & intellectum omnium scripturarum, deindè potentiam & virtutem animi, ut sine timore & tremore possent prædicare Euangeliū, & ita hoc facit: nā ipse subordinat prædicatores, nemo enim potest prædicare sine cooperatione Spiritus sancti: Nec auditores possunt credere & Deo fidere sine cooperatione Spiritus sancti. Vndè Roma. 10. Quomodo credent sine prædicatore? quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ideò Spiritus S. primū ordinat prædicationem: deindè, per prædicationem operatur fidem in cordibus auditorū, ut homines consentiant & credant verbo Dei, & sic esse de Christo sentiant: Ita dicit Apostolus 1. Corinth. 12. Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi per Spiritum S. id est, nisi ab illo illuminetur per fidem: post fidem ornat (richttet an) Baptismū, quo homo facit pactū cū Deo, & Deus illi promittit se fore ei Deum, & illius

Actor. 2.